



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicoꝝ, 1607

S. Basiliscvs M.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

S. THALLELÆVS M.

2. Maij.

NVmeriani æuo vixit hic à Libano profectus, patre Verucio, matre Romulia oriundus. primum medendi disciplinæ deditus. Azarbi, quæ fuit altera Ciliciæ prouincia in luco olearum abditus. Captus ad Theodorum præfidē deducitur, quem vt vidit adigi non posse, vt Diis faceret, talos illius traici, & à pedibus suspendi imperat. Sed nescio qua diuina vi carnifices, velut de statu mentis deiecti tignum terebratum suspendunt, qui & pœnas dederunt, quasi magistratui illufisse visi, Deinde in mare spargi illum præcepit, vnde saluus & niuea tectus veste exiuit. Tandem concessus feris, cum nec ab illis læderetur, Edesse Argeorum oppido, capite plectitur.

Vide Palladium.

A N N O T A T I O.

Hic ipse fuit quem laudat Theodoretus in hist. SS. patrum c. 28. quamquam nondum martyrem: nec diuersum reor Ioannis Moschi c. 59. alium tamen, de quo idem c. 91.

S. BASILISCVS M.

22. Maij.
*Vide Martyr. Romã.
& Menologium.*

MAximiani imperio floruit hic, è ditione Chumialorum regionis Amasææ, consobrinus magni illius Theodori Tironis, iam antea quoque cum S. Eutropio &

P 4 Cleo-

Cleonico, qui in commilitio S. Theodori erant, certamen subierat, in carcere illorū captus, vbi victoriam martyrij retulerunt, postea (dimissus) tamen semper pro Christo patiendi uoto, cæptique agonis perficendi desiderio flagrabat, qua gratia sæpe Deum deprecabatur, qui per illustrationē diuinam illi dignatus parere, spondit futurum, vt salutatis parentibus & cognatis Comani sanguinem profunderet. Venit ergo domum cum militibus, & matre fratribusque consalutatis, atque in suscepta Christi fide confirmatis, per missos ab Agrippa præside satellites comprehensus & uinctus, soleas densis clauorum aculeis horrentes indutus, Comanum versus recta via propellebatur. Sed cum ad vicum quendam Dacorum peruenissent, a fœmina quadam Traiana nomine hospitio excepti sunt, vbi S. Basiliscus ad aridam platanum uinctis post tergum manibus est religatus; qui mox per preces ad Deum versus effecit, vt arida refloresceret platanus, densisque frondium comis diffunderetur, ibidemque vbi S. stabat, fons è terræ gremio scaturiret. Quo satellites viso prodigio vna cum hospita Christum se Deum agnoscere testantur, vinculisque virū S. expediunt. Vbi

vero

*Comanū
Ponti Vrbs*

vero Comanū attigere, ad præfidē sanctus adiit, à quo frustra ad sacrificia idolorū sollicitatus è cælo per preces ignē deuocat, quo fanum idolorum signumq; Apollinis couflagrauit. Quare immēso furoris œstro concitatus præses, actutum caput martyris ferro demeti, corpus in profluentem abiici imperat. Ita Sanctus ad Dei nostri laudem & gloriam amplificandam martyrij diademate est insignitus.

ANNOTATIO.

Isdem prope verbis in Menologio Basiliscus hic describitur. Palladius in vita S. I. Chrysofomi affirmat hunc fuisse Episcopum in ponto Comani. Plura de hoc Theodor. lib. 5. historiar. Nicephorus & alij.

S. SIMEON STYLITA.

Vixit hic Iustini senioris imperio, natus Antiochię Syrię, patre Ioanne Edeffano, matre Martha, Antiochię educus. Quę sequuntur omnia miraculis plena, quę partim accidisse illi, partim ab illo designata, omnia prope supra humanam conditionem dicuntur. Per preces enim in vtero conceptus est. Quin & priusquam conciperetur, Ioannes Baptista Christi prodromus, matri futuram pueri sanctimoniam prædixit,